



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia|| Ivridica,|| Sev Ivs Civile Theologicvm,||

Fickler, Johann Baptist

Dilingæ, 1575

VD16 F 976

Christianissimo Potentissimoqve Principi Maximiliano II. Caesari Avg.
Hvngariæ Boëmiæq[ue], Regi, Archiduci Austriæ &c. P. P. Domino
clementiss. Ioann. Baptista Ficklerus I. V. D. S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63414)

CHRISTIANISSIMO

POTENTISSIMOQUE PRINCIPI

MAXIMILIANO II. CAESARI AVG. HUNGAR

riae Boëmiæq; Regi, Archiduci Austriae &c. P. P.

Domino clementiss. Ioann. Baptista

Ficklerus I. V. D. S.



AMETSI IAM INDE A QUADRAGINTA COQUE AMPLIUS ANNIS, in Europa passim à plurimis, iisdemque doctissimis atque selectissimis viris, complures & ferè innumeri in lucem prodierunt libri. Imperator Auguste multissime; quibus in defensionem Ecclesie

Dei cõtra pridem in terris Imperij tui, Germanice nationis enatas, ac subinde auctas hereses, haud secus atque contra commune quoddam incendium, singuli quidem pro modulo atque portione virium, opem suam assutum attulerunt: ad eod quod vix illis aliquid addi posse videatur, quod non iam confectum sit, neque dici, quod non dictum sit prius. Itaque facile vel impudentie vel temeritatis me arguere, & cauillari quis possit, me hominem lesguleium, ad quem negotium hoc minime spectare videatur, non solum actum agere: sed etiam falcem in alienam messem transmittere, atque Saulem inter Prophetas, inmodò nanum inter gigantes videri velle. Sed longè aliter se res habet, piè Imperator: nam et commune periculum cuius (nisi inutilis reip. civis haberi & esse velit) quantum in se est, declinare licet. Quod verò periculum est communi, quod incendium grassantius atque perniciosius, quàm ubi maleferiati quidam id agunt, vt diuina oracula peruertant? rixas, odia, dissensiones in religione Deè (cuius vultus, & concordia per vniuersum orbem hæcenus sacrosancta meritò habita est) seminent? animos Christianorum in varias non modo atque diuersas, sed & planè contrarias pugnantibus sententias distrahant? altercationes, pugnas, factiosnes excitent? communem et optatam patrie tranquillitatem conturbent? subditos, quibus vt Prædecessorum tuorum leges dictant, parere necesse est, ad seditionem rebellionem, perduellionem stimulent? armis omnia compleant? regna euertant? Principum diriones irriterent, tantum non cælum terre misceant? Si itaque pro aris, sacris & rep. pugnare gloriosum est: ad eod quod An-

recessav

EPISTOLA

recessor tuus, Opt. ille Princeps Iustinianus per gloriam in perpetuum eos vivere dixerit, qui pro repub. cecidissent, Cui, obsecro, in gloriam foret, se opponere iis, qui Religionem ipsam, sine qua (vi idem Iustinianus sapienter sensit) Resp. consistere nequit, labefactant? Vbi enim diuina offenduntur, conculcantur, impie tractantur, vel negliguntur, non est quod quisquam sane mentis cetera rectè cessura putet. Præterea sanctiss. illi Imperatores Arcadius, Honorius, atque Theodosius hoc malum Reip. non fecerunt quàm pub. crimen ab omnibus persequendum esse, ex hac potissimum causa, duxerunt: quod quicquid in religionem diuinam committitur, id in omnium feratur iniuriam. Non iniuste igitur hæc, tanquam communis iniuria etiam à minimis Ecclesie membris & accusanda & vindicanda est. Nec obstat, quod plurimi & propemodum innumerabiles ante me istius iustissime vindicæ zelo, contra Reip. Christiane hostes, tam diuine scripturæ lorica muniti, quàm sanctiss. Ecclesie Patrum Christianiss. constitutionibus & Canonibus perinde ac vrgentiiss. telis, gloriosa victoria triumpharunt: qui tamen hanc arenam solis legibus Antecessorum tuorum ciuilibus stipatus, ingressus fuerit, comperio neminem. Quod cum ego qui longè post principia, quin postrema in statione Christiane huius militiæ collocatus, temere ausus sum, conatus meos à nemine orthodoxo vituperandos (absit iactantia verbo) vel calumniandos esse censeo: tuæque Mæstati hunc qualemcunque laborem meum, eò rectius dedicare, ardentiusque commendare volui, quo magis eum et tibi, tuisque laudatissimis Maioribus, quotquot eorum iam indè à Constantino Magno in Christiano orbe leges tulerunt, acceptum refero, tantis que sanctionibus fructum dignum expectandum arbitror. Quo nomine & tibi gravior, omnibusque cuiuscunque notæ Christianis, lectu dignior, & acceptior haud dubiè fuerit. Quin & hoc spero fore, vi quos hactenus nec dulce Christi iugum intra Ecclesiam continere: nec Petri clauis coercere: nec Pauli gladius terrefacere potuit, eos tam præposterè heteroclitos tot sacratissimorum Romani Imperij Augustorū grauiss. iustissimisque legibus saltem permotum iri, vi ad sanitatē redeuntes, officium porro faciant. Quod iam dudum vi fieret, per te, inclyte Cesar, nihil omissum est: nihilque intentatum reliquisti, quod ad te, optimum & clementiss. Principem, ac moderatorem rerum omnium, que ad conficiendum pub. salutis negotium maximè spectare videntur, pertinere. Mature enim conspexisti scientes heresum procellas

DEDICATORIA.

protellas, furentisq̄ue Sathane impetum, rabiem, crudelitatem
 eò peruenisse, vt in Christum Domini, sanctamq̄ eius Ecclesiam
 Catholicam excitato Aquilonari turbine, Christiani orbis pre-
 stantiores partes, letifero pestilentissimarum heresum veneno,
 et contagione infecerint, à piò vteriq̄ue illo, nobisq̄ue à sanctiss.
 Patribus iam inde à temporibus Apostolorum, quasi per manus
 tradito benè beateq̄ue viuendi instituto auerterint, & in maxis-
 mum tandem induxerint discrimen. Quod quale quantumque sit,
 ex eo cognosci potest, quod ampliss. regna, maximeq̄ue prouinciæ
 & regiones, innumere ciuitates et oppida ab orthodoxa fide, ve-
 raq̄ue pietate defecerunt. Quare omnem morum atque affectum
 animi tui non solum ad sacri Rom. Imperij, verumetiam ad sa-
 cro sancte Ecclesie Cath. dignitatem tuendam, ab omni alia co-
 gitatione traduxisti, vt & tuam & Imperij maiestatem, atque
 in primis totius Ecclesie salutem in tanta hominum atque tem-
 porum malicia retineres. Quod, nisi pro viribus tuis & summa
 prudentia, etiamnum prestares, foret labentis Religionis statum
 & fortunas eò deduci videremus, vt nulla amplius auxilia, pre-
 terquam lachrymæ ab hominibus possint expectari. Quis enim
 tam ferreus, qui tantorum in malorū, tantarumq̄ue tragediarum
 fœdiss. aspectu stetum contineat? Dùm verum & germanum Dei
 cultum impij hostes nostri tollere conantur, quo violato, non dicã
 sublato, omnis rerum humanarum delectus e medio tollitur: tùm
 etiam salus vniuersi Christiani gregis periclitatur. Vnde factum
 vidimus, quod nunquã antea Christi Ecclesia, vel grassante A-
 rio, Manicheo, Pelagio, Nestorio, Eutiche, Donato, & reliquis
 eius notæ heresiarchis, grauioribus periculis fuerit exposita, se-
 uioribusq̄ue tempestatibus agitata, quàm hoc tristi euo: ita vt
 omnia dira, omnia prophana, omnia portentosa preteritorum
 temporum inuenta iam nũc reuixisse, & in vnum coacta, in dilec-
 tam Domini sponsam conspirasse, eiq̄ue immaniora bella, acere-
 bioresq̄ue clades intulisse, quàm olim Claudij, Neronis, Domi-
 tiani, vniuersæq̄ue Tyrannorum acies, dùm florentem illam, lie-
 cet adhuc adulescentulam, districtis gladiatorum, tororum &
 carnificum gladiis, vncis, aculeis et sacibus insequerentur, intue-
 lisse videantur. Nec profectò credendum est ipsos Gothos, Hun-
 nos, Vandalos, Scythas, & qui hodiè etiamnum grassantur, Tur-
 cas, Christiani nominis ex professo acerrimos hostes, tantas clau-
 des stragèsue rebus nostris ferro, flammis, depopulationibus va-
 stationibus & cædibus attulisse, quantas impius ille Sathan, Eccle-
 siæ

EPISTOLA

ecclesie caput & fastigium domus Domini aggressus, sua intulit
 impietate atq; licentia: cum illi in agros, oppida, et in ipsa homi-
 num tantummodo corpora, aperto Marte fuerint grassati. At hi,
 veluti omni insidiarum genere armate vulpecule, dolo malo,
 fraudibus rebus, plausibilem verborum lenociniis, sed truculen-
 ta plerunq; armorum rabie in ipsas Dei imagines, animas scilicet
 Christianorum, debachantur, omnia defedantes & conspiran-
 tes, a sacra totq; seculorum usu, et consensu confirmata doctrina
 dissidentes, sibi ipsi populi Dei pietatisq; ministerium vindic-
 antes, pollicitando se ex tenebris & umbra mortis eruturos (si
 diis placet) atq; in lucem prodituros sacrosanctam hanc, quam nos
 orthodoxi incolimus, et veneramur Ecclesiam, quamque artifex
 ille sapientiss. in fundamentis Sion opere admirando sibi edificavit:
 non in exercitu aut robore: non in fortitudine Equi, neq; in
 tibis viri, sed in Spiritu, super saxum illud supremum, probatum,
 angulare, preciosum, quod collocatum est in caput anguli, quam-
 vis illud antea quoq; reiecissent edificantes. Quasi vero prophanis
 hisce impostoribus nouam (nescio quam) Babylonem molien-
 tibus maior adhibenda sit fides, quam ipsi veritatis parenti? qui
 ut dispersos in Israele congregaret, atq; in vnum, scilicet mysticum
 Ecclesie corpus, cogeret, iam tum presenti plenitudine temporis
 cruce se morti; obtulit, quo nobis certam salutis viam, veram
 lucem, apertamq; veritatem ob oculos poneret. Quasi vero cre-
 dendum sit Christum seruatorem nostrum ideò ab eterno Patre
 exiisse, eumq; tot tantaq; incòmoda, tormenta & cruciatus per-
 pessus fuisse, ut Apostolis, primisq; illis Ecclesie proceribus sub-
 latis, iterum ei in antro Trophonij, in Democriti puteo, in Cyme-
 rijs tenebris foret delitescendum tantisper, donec post sesquimille,
 et eò amplius annos, vnus atq; alter nouis quibusdam et temera-
 rijs scholis insurgeret, qui eam ipsam omni (quod illi calumnian-
 tur) impietatis genere defedatam, pristino genuinoq; candori re-
 stituerent. Siccinè, religiosiss. Imperator, credendum est eternam
 Patris sapientiam Ecclesie sue, sponse chariss. consultum voluisse?
 At cum homines illi adeò sint stupidè, còtumaces atq; rebelles, ut
 Dei loquentis, Ecclesie fideliter admonentis, firmissimorum argu-
 mentorum, vocem quidem non audiant, auctoritatem còtemnant,
 vim irrideant: deberent saltem altiori mentis indagine scrutari
 & contemplari, qui sancte huius Ecclesie fuerit cursus et status
 iam inde à Christo passo ad hæc vsque tempora, ut exinde mani-
 festò cognoscerent, quantum à veritatis scopo aberrarint.

Etenim

DEDICATORIA.

Etenim ab initio primi illi Apostoli, Apostolorumque discipuli atque sequaces omnes æque fortissimi Duces et antesignani, proprio in sanguine, vitæque inculpate meritis, perinde ac in viuis & preciosis lapidibus, per trecentos quinquaginta, plus minus, annos, ineffabile pietatis & religionis iecerunt fundamentum. Deinde fortius cepit Christi imperium orbi innotescere, caperunt templa aperiri, Christi que Evangelium publicè predicari, id quod antea ob Tyrannorum, mortisque formidinem licuerat minimè. Et quamvis religiosiss. Imperatore Constantino è viuis decedente, Constantius filius Ariana heresi fuerit infectus, Ecclesiam vexauerit, Athanasium, Hilarium, & complures alios Ecclesie Cath. heroes atque vindices in exilium egerit & relegauerit: tamen Constantio sublato, & Iuliano apostata interfecto, per Iovinianum reddita est pax Ecclesie, à quo vsque ad tui (Diue Maximiliane) tempora omnes pij Cesares, religiosiq; Principes, & Religioni, & Ecclesie Catholice addictos sese professi sunt. Hæc non ideò recenseo, quod te, Catholicissime, idem & peritiss. Imperator, horum ignarum esse putem, vel officij (quod ipse nauiter ac sapienter facis) admonere velim: sed, ut prophani intelligent tam Germanos quam Græcos Cesares & religionis et Ecclesie Cath. protectores fuisse, quod mihi, licet in historiis nõ admodum trito, singulatim tamen referre, si modus Epistole id cõcederet, difficile non foret. Quæ omnia cum sic se habeant, quis cordatus homo illorum nouatorum sursum deorsum in Ecclesia omnia vertentium, ineptas, friuolas, absurdas, ac temerarias opiniones æquo animo ferre poterit? cõ damnatos, explosos, ac toties eliminatos hereticorũ, gentiliũ et Philosophorũ errores mundo iterum atque iterum, non aliter atque diuina oracula, obstruere laborant? Quid enim eorum quidam (vt cætera taceam) mouentur, dum humane voluntati libertatem adimunt: nisi vt impiam illam et prophanam Zenonis, Democriti, Carneadis, ceterorumque Stoicorum opinionẽ nobis inculcent? quæ asserunt omnia certa lege stare, deq; necessitate fatoq; euenire? id quod non modo Theologi nostri, verumetiam ipsi mundi sapientes confutauerunt. Quid præterea contendunt, cum pijs actionibus & honestis ad immortalem felicitatem comparandam, opus nõ esse asserunt: nisi vt Epicuro, Aristippo, Cyrenaicæq; turba sordidiores, in huiusce ænumerosæ vite prosenio atque theatro, luxu et otio marcescentes, Serdanapalos tantum & Philoxenos agamus? Sed ne singula istius hydre capita persequar, & actum agere videar,

EPISTOLA

tua Maiestas videt quam hoc malum in intima vsque preceps
 dia ipsius pietatis & religionis irrepserit: cui, nisi quanto quas
 liuecunq; fieri potest & consilio & auxilio remedium afferas
 tur, verendum est, ne tandem Aquilo hic vehementissimus ir-
 ruens (quod omen Deus ab hoc tuo Imperio, cerevisq; Christia-
 nis omnibus benigniter auertat) à regione deserti concutiat om-
 nes angulos domus nostrae, neue Dominus Deus caeli & terre det
 hanc nostram Hierusalem in aternos arenae, in cubilia Draco-
 num, in solitudinem & desertum, ita vt sanctissimo illi Iosepho,
 vna cum puero eiusq; matre in Aegyptum sit sugiendum, Ecc-
 lesieq; in Tyrum & Sidonem, ad exteras gentes, in extremos
 nuperq; repositos Indos sit transmigrandum, omni nobis tum
 adoptionis, tum hereditatis caelestis spe penitus sublata. Maxi-
 ma itaq; cura, sollicitudine, & quibuscunq; rationibus fieri
 potest, languentis Religionis rebus prospiciendum atque subue-
 niendum est. Eam autem de te (Clementissime Caesar) tuaque
 diuina virtute spem concepinus, vt que ex re communis salutis
 futura sunt, longè melius quam nos exoptare possimus, perficere
 ruis sis. Experiris autem quotidie, fieri non posse, vt in otio ac
 optata pace tibi quies permittatur: nec ignoras, quo sedius ac
 indignius rem & rectiss. & honestiss. malorum hominum, summo
 cum reip. detrimento, temeritas violat & audacia, eò studiosius
 & ardentius resistere illorum conatibus & vniuersæ Reip. cons-
 sulere oportere, id quod per optimè fiet, si cogitaueris te super
 opera manuum Domini, atque adeò maiorem te non minorem
 esse mundum, contra quam veteres illi somniarint: Si cognoueris
 te expositum esse oculis Angelorum atque hominum, qui te
 amant, & querunt quid laudent celebrentq; in te: & quem
 admodum in vnum solem reliqua sydera intuentur, vt inde &
 clariss. & chariss. lucem hauriant: sic in te vniuersæ reip. Chri-
 stianæ oculos & ora esse conuersa: si denique meminereis nomen
 tuum aliud nihil sonare quam Imperatorem, Regem, inspecto-
 rem, consultorem, vindicem & voti compotem. Cum eadem
 mens, idem animus tibi esse debeat in Ecclesiam Dei, qui est in
 Imperij sui subditos, eoq; ardentior, quo nec omnes quidem
 humane res cum minima diuinarum portiuncula sunt conferen-
 dae. Perge igitur malte virtute in hanc incumbere curam, & cog-
 itationem, ipsamq; pietatem, religionem, Ecclesiam, bonosq;
 que mores, que olim à Deo Opt. Max. à tuis illustriss. Maioribus
 summo cum studio & contentione tibi facta recta tradita fue-
 runt,

DEDICATORIA.

vixit, hæc omnia tuæ fidei, pietati, bonitati etiam atque etiam commendata esse nosti. Quid enim aliud egerunt Carolus atque Ferdinandus, hic Pater, ille Patruus tuus, Imp. Augustiss. & Sanctiss. quibus antea vix unquam Rom. Imperio aliquis obigit, vel fortior, vel clementior, vel prudentior, vel sapientior, vel per omnem pietatis, iustitiæ, cæterarumque virtutum laudem immortalis Deo charior, vel hominibus acceptior. Hi suere, qui alacri animo, maioribusque conatibus quam ullus unquam Cæsarum, Religionis, Christianique Imperij decus aduersus immatissimos Barbaros sunt iurati: Vtpotè qui cernentes propriis humeris, perindè ac Herculeis, vniuersæ Christiane rei molem esse impostam aduersus Othomannorum, vniuersique Orientis districtos gladios, infestissimaque arma aduersus illos etiam sanctæ religionis corruptores, semper, ceu validiss. murum, munitissimamque propugnaculum se obiecerunt, eosque toties repressos confregerunt. Quorum præclara vestigia tu Filius & Nepos minime degener, tam excelsa prosapia digniss. nature quodam singulari ductu insequeris, atque cum Dei hominumque gloria te delectat, in eo potissimum virtutum genere & campo, animi tui vires et magnitudinem exerces, quod cum rebus penè lapsis præsentiss. attulerit auxilium, tibi ampliss. dignitatem, immortalisque gloriam sit allaturum. Quandoquidem omnem eam diligentiam, sollicitudinem, & animorum propensionem, qua tua prudentia in hac vsa fuerit causa, & præsens ætas, & vniuersa posteritas admirabitur, ac diuini prosequetur honoribus. Huc itaque, fortissime Imperator, ad pietatem conseruandam et amplificandam omnes neruos intende, salus religionis tibi maxime ob oculos versetur, tanquam è specula ad eius commoda & ornamenta prospice: in huius periculis propulsandis te solertiss. & fortiss. præbe, vt, dum animi tui ardorem in ea tuenda exhibes, vniuersus terrarum orbis fateri compellatur, nullum unquam neque presentibus neque præteritis temporibus eius amantiores rem extitisse, ardentiorique charitate fuisse persecutum. Te felicissimum, beatissimumque fore existima, si omnia consilia tua omnes actiones, omnemque virtutem tuam in pietatem, in Ecclesiam Dei Cath. in ipsumque Deum Opt. Max. retuleris: cum nulla videatur, neque sit censenda virtus nec appellanda, que in Deum, vtpotè summum & incommutabile bonum non referatur. Animum fortem & alacrem retine in Barbaricam illam, Deoque odibilem gentem, que iamdiu & Imperio tuo, & toti

EPISTOLA

Christianitati tam infesta fuit: repelle præterea temerarios, & delirantes illos homines, rerum nouarum in Ecclesia Dei studiosos, nullo eis relicto loco, ubi non tantum nec homines, sed nec ipsum aërem inficere, cæterisque Elementis. (Quemadmodum diui Antecessores tui Theodosius & Valentinianus dicere soliti sunt) iniuriam inferre queant. Nec ullas eorum minas vel insidias extimesce: nam illi, ubi primos impetus effuderint, veluti vespe & crabrones, emisso aculeo, illico torpescent. Et si honestum est, ob communia, fluxa, & serè ignavia hominum commoda, nullos labores, nullaque pericula euitare, quod qui facit, is, maximè nature bonitatem præ se fert, atque ad communem omnium vtilitatem, salutem et ornamentum, nec sibi soli, se natum esse recordatur: quanto honestius & præclarius existimare conuenit id agere, non propter homines solum, sed propter Deum, propter seruatorem, propter Christum? qui nullo à nobis officio prouocatus, præterquam quod ampliss. immortaliaque antea in nos contulerat & beneficia & ornamenta, vltro se nostri causa morti dedit, quiq; chariss. sponsam hisce perditiss. temporibus adeò torqueri & lacerari permittit, vt nullum sit eius membrum, quod non sit ruptum, luxatum, debilitatumue, quatuor omnem metum & formidinem mente excuteres, tueq; virtutis aliquod præclarum specimen ederes. Quare has potissimum tuas esse partes intelliges, vt agas de Dei cultu, amplius quam de Imperio ipso conseruando (quandoquidem hoc læsa religione consistere, vt rectè Iustinianus sentit, non potest) de pietate propaganda de pace & concordia confirmanda, de extirpandis iis, qui communem salutem & tranquillitatem perturbant. Hoc siquidem immensus ille in nos omnes Dei Opt. Max. amor & charitas: hoc immortalia eius in te collata beneficia & ornamenta: hoc nature leges, hoc gentium iura & instituta: hoc fides: hoc pietas: hoc religio: hoc denique maiorum nostrorum non modo, verumetiam Ethnicorum, Gentiliumq; & gesta & exempla expostulant atque contendunt. Siquidem tantum fuit studium priscis illis, præsertim Romanis, & seruandæ & amplificandæ Religionis, vt eis supra omnium hominum opinionem, summum Imperium hoc (quod ad te Cæsar Auguste tandem cum gloria deductum esse cernimus) semper cesserit. Ita enim se verum potituras arbitrabantur, si diuinæ potentie & bene & constans

DEDICATORIA.

constanter fuissent obsecuti. Nec tibi, utpotè Christi signis ad-
 scripto, Imperatori fortissimè & sapientissimè, quàm maxima
 & validissima præsidia & auxilia desutura verearis. Aderit
 tibi Clementissimo atque Potentissimo ille rerum omnium Pa-
 rens, & conditor Deus qui cum semper foueat præstoque sit in-
 stis cæptis, sanisque conatibus, in medio tui non commouebitur,
 adiuuabit te manè diluculo, & aquis ex Libano, magno cum im-
 petu fluentibus, consolabitur te tuumque hoc sacrosanctum Im-
 perium, quod licet interdum castiget, propter electorum exer-
 citationem & salutem, nunquam tamen id interitui dabit, sed
 de manibus hostium eripiet & exaltabit illud, ut annunciet in
 Sion omnes laudes Domini, qui cum multis ac variis incommo-
 dis id iam diu exercuerit, conuersus tamen rursus viuificabit,
 & de manu forti liberabit idem. Aderit Gregorius Pont. Max.
 acerrimus sapientissimusque Petri nauiculae defensor & guber-
 nator, solertiss. vigilantissimusque Christiani gregis Pastor, ab-
 solutum sanctitatis, omniumque honorum exemplar, qui quam-
 primum uno omniumque purpuratorum Pairum voto in Chris-
 sti, Petrique successorem, Ecclesieque moderatorem est coopta-
 tus, nihil prius habuit, quàm ut in orbe Christiano, ac præsertim
 ut in hac tua Germania, rebus labentibus subueniret, ac diri
 barsephon serpentis caput contereret, tantisque calamitatibus
 succurreret. Aderit tibi Christianus orbis, qui una tecum pietas
 ti periclitanti, religioni, Ecclesie, rebusque tuis, tibi que ipsi
 suppetias & auxilium ferent. Aderunt tibi denique præter alia
 humana auxilia, Christi Iesu, tuorumque fidelium omnium pie
 preces ac vota, que Deus nunquam spernere solitus est. Quare
 non est quod quiquam verearis vel dubites, quo minus tantam
 pestem, tantamque perniciem aduersus Christianam remp. inua-
 lescentè, debachantemque, ab Imperio tuo, quibus fieri potest, mo-
 dis ac rationibus auertas. Laudantur prophani illi Heroes, quod
 pro Patria Fideque seruanda filios virgis casos, ad palum deli-
 gatos, securi percusserint: quod & volentes atque prudentes
 sese morti deuouerint: quod in vastos terre hiatus & voragines
 sese præcipientes dederint: quod acerbissimis cruciatibus turpissi-
 misque contumeliis intrepidus se obiecerint: nulla certè alia de
 causa, quam ut inanem breuique interituram huius vite glo-
 riam, vel mortui, quoquò pacto videretur assecuti. Quid itaq; tu,
 Christianissime Imperator, qui ad celebrem huius vite gloriam,

supra

EPISTOLA

*Supra caelestem illam, & immortalem es affecuturus, cunctaberis
 obuiam ire praeclarissimis triumphis? Nos verò nostrae tandem
 fortunae exultantes, ouantesque gaudebimus, Deoque Opt. Max.
 immortales gratias agemus, qui nos in tantum Monarcham, in
 tantum Ducem, in tantum moderatorem, in tantum rerum nau-
 strarum amplificatorem reseruarit, & tuae diuinae virtuti gra-
 tulabimur, qua duce & auspice ea propediem affore tempora
 speramus, in quibus sublatis vniuersis, vna cum crudeliss. hoste
 Barbaro, Christianae concordiae perturbatoribus stillabunt mons-
 tes dulcedinem, colles fluent lacte, per omnes riuos Iuda fluent
 aquae, & Dominus Deus Sion habitans in monte sancto suo, con-
 uertet captiuitatem nostram in pacem & tranquillitatem sem-
 piternam. Is & Imperium tuum stabilire, teque illi rectorem ac
 moderatorem feliciss. Patremque Patriae plures in annos con-
 seruare velit. Interim tuo potentiss. patrocinio, & me & meum
 hoc opus, immò tuum, tuarumque legum sacratissimarum è scri-
 ptorio confectum, humiliter submitto, dedico, & quoad eius fieri
 potest, commendo: supplex rogans & obsecrans, id ipsum poten-
 tiae ac splendoris tui, fulgore, ceu comatu saluari, septum,
 atque munitum, in lucem prodire velit. Sic fiet, vt à quouis
 Neopista, Zoilique naso, liuore, atque inuidia tutum sit futurum.
 Quod si lectu dignum (vti dignissimum, quia lex tua est) & ho-
 rum temporum necessitati accommodam fuerit, spero Maiestas-
 tem tuam ex eo ampliore voluptate capturam: Et siquidem
 tibi meus hic conatus fuerit acceptus, eumque mansuetudinis
 tuae brachiis amplexus fueris, gratiam tibi habebunt ij, qui ex
 hoc ipso labore aliquem fructum percepturi sunt. Datae Salis-
 burgi die 24. Mensis Aug. Anno seruatoris nostri Iesu Christi.
 M. D. LXXV.*

INDEX